

laum Iensonum impressae, quod nunc in publica bibliotheca Parisina servatur. in eo enim manu Politiani a. 1482 scripturae codicis, qui tunc Florentiae in bibliotheca S. Marci erat, ita adnotatae sunt, ut, quidquid aliter in manu scripto libro atque in edito exemplo legeretur, vel in marginibus vel inter versus editionis adscriberetur.

Victorius, qui ipse quoque codicem tum, cum in Marciana bibliotheca erat, usurpavit, Catonis et Varronis libros de re rustica una cum 'explicationibus suarum in Catonem, Varronem, Columellam castigationum' a. 1541 Lugduni apud Sebastianum Gryphium edidit. is autem non solum Catonis et Varronis libros, qui in antiquioribus editionibus vehementer corrupti ferebantur, primus ex vetere codice emendavit, sed etiam in explicationibus lectiones manuscripti libri saepe indicavit, nonnullis locis etiam notamendi in vetere codice adpositam esse adnotavit. sed praeter ea quae in adnotationibus Victorii e codice adscripta sunt etiam ipsa editio haud contemnendum veteris scripturae testimonium praebet. nam ubicumque in eam novae lectiones receptae sunt, quae neque in exemplaribus antea editis habentur neque eas sua coniectura inventas esse editor adnotavit, has e codice petitas esse credendum est, si modo aliorum librorum auctoritate fides Victorii confirmatur. ceterum et Victorius et Politianus codicem in extrema parte mutilatum habebant. nam post haec verba III 17, 4 *tubicinam graecum*, quae extrema esse in codice uterque adnotavit, reliqua tum non legebantur, sed abscissa membrana perierant.

Ex manu scriptis libris, qui quinto decimo saeculo ab Italis ex Marciano codice descripti sunt, omnium quos vidi accuratissime ex archetypo expressus est Laurentianus 51, 4 chartaceus, qui tres Varronis libros continet, sed tertium in fine eodem modo, atque in ipso archetypo a Politiano et Victorio legebatur, mutilatum habet. eiusdem generis, sed magis vitiose scriptus est codex Caesenas bibliothecae Malatestianae 24, 2 membranaceus, in quo post Columellae et Catonis libros scripti sunt Varronis libri.